

Uiro
Gredotipino
C. T. Murr
J. D.
doctor

國
民
文
學
之
發
展

IMPERII	國	kue	Kim	景	PRÆCLARISSIMAE
ERUDITIS	儒	ji	ven	文	LITTERATURAE
OBLATA	獻	lien	chin	眞	VERA
DISSERTATIO	說	xue	fa;	法	METHODUS;
PRÆLIMINARIS.	序	sui.	pe	北	SEPTENTRIONALIS

DE
STUDIIS SINICIS

IN IMPERIALI ATHENAEO PETROPOLITANO

RECTE INSTAURANDIS

DISSERTATIO ISAGOGICA

AMPLISSIMO PRAESIDI

DOCTISSIMISQUE SOCIIS EJUSDEM ATHENAEI

REVERENTER OBLATA

AB AUCTORE

ANTONIO MONTUCCI SENENSI

J. U. D. ETC.

De Montu.

EXCUDEBAT BEROLINI
LUDOVICUS QUIEN,
IMPENSIS CAROLI QUIEN.
MDCCCVIII.

ex Pono Cl. Auctoris.

AUX CÉLÈBRES ORIENTALISTES
ET
AUTRES SAVANS
MEMBRES DE L'INSTITUT NATIONAL DE FRANCE.

MESSIEURS,

Mon empressement à mettre sous Vos yeux cette brochure, même avant qu'elle puisse être parvenue aux Académiciens, auxquels elle est directement adressée, manifeste assez la préférence que je donnerois au bonheur d'être honoré de Votre appui pour des études, qui me sont si chères.

Cependant, MESSIEURS, permettez-moi d'y ajouter des preuves plus évidentes en rappelant à Votre souvenir, que mes premières sollicitations auprès de vous portent une date encore plus reculée, que celle de ma requête envoyée en Russie (voyez la Dissertation P. 7.) puisque ce fut en 1801. que profitant d'un rayon de paix, qui brilla pour un instant entre l'Empire de France et l'Angleterre, où je me trouvois en ce temps-là, j'osai m'adresser à vous par un *Prospectus* et par des *Essais*, dont vous daignâtes bientôt après m'accuser la réception.

Cette tentative ayant échoué, j'en fis une seconde l'année passée (ici à Berlin) auprès de SA MAJESTÉ IMPÉRIALE ET ROYALE; très-persuadé, que NAPOLEON LE GRAND, tel que les Ptolomées et les Attâles, ne sauroit rien négliger, même au milieu de ses Armées et de ses Triomphes, de ce qui peut contribuer à l'amélioration des Sciences et des Arts: et puisque vous

en êtes, MESSIEURS, sous SES AUGUSTES AUSPICES, le soutien le plus ferme, et l'ornement le plus beau, le succès de cette Requête doit aussi dépendre des Vos suffrages.

Pardonnez donc, MESSIEURS, le nouvel effort, que je fais de rallumer l'espérance la plus flatteuse pour moi, mais malheureusement presque éteinte, d'acquérir des droits à Votre bienveillance, en vous présentant une *Dissertation* suivie d'une *Lettre* du Chevalier STAUNTON, dont le contenu doit vous intéresser bien plus que l'Académie Impériale de Russie (vu les précieux matériaux de Votre Bibliothèque, et les importantes relations de religion et de commerce, qui subsistent entre la France et la Chine) et Vous engager, j'ose m'en flatter, à entreprendre quelques-uns des ouvrages proposés, et à avoir quelque confiance dans les talens et l'expérience de l'Aspirant, qui d'ailleurs se fait gloire de vous assurer, encore une fois, qu'il n'est rien, qu'il ambitionne autant que l'honneur de pouvoir être réellement et à jamais,

MESSIEURS,

VOTRE

très-humble et très-obéissant serviteur
ANTONIO MONTUCCI.

A Berlin
ce 24. Décembre 1807.

AMPLISSIMO PRAESIDI
N. N O V O S S I L Z O W
ALEXANDRI IMP OMNIUM RUSSIARUM IMPERATORIS ATQUE AUTOCRATORIS A CONSILIIS INTIMIS,
PRAESTANTISSIMISQUE SOCIIS
IMPERIALIS ATHENAEI PETROPOLITANI.

AMPLISSIME DOMINE, DOCTISSIMI VIRI,

Etiam si valdè mihi verendum sit, nè dum his litteris Patrocinium Benignitatemque Vestram mihi conciliare laboro, ipsas istas audentia mea magis atque magis a me alienet; attamen fretus vinculo illo universali, quo cuncti litterarum bonarum amatores, Minervâ suadente, invicem tenentur; caeteroquin loco, fortunâ, scientiâ, necessitudinibus quantumvis dissiti: audeo, AMPLISSIME DOMINE, EXCELLENTISSIMI VIRI, vos humiliter obsecrare, ut benignè huc animum advertatis, dum causam et argumentum hujus epistolae vobis ordinatim exponam. Deinde autem, si licet, mihi favete, sin minus, ignoscite.

[1]

Quadriennium jam totum elapsum est, ex quo (dum Londinium incolebam) a doctissimis Viris TOOKE, ROGERS, WILlich, quos inter amicos atque patronos meos numerare et juvat et licet, de illâ copiosissimâ Bibliothecâ Sinicâ, in Imperiali Athenaeo Petropolitano asservatâ, non sine inenarrabili admiratione plura audivi, quippe qui per annos duodecim hisce studiis jam tum non infrequens incubuissem, et tamen nihil apud criticos vel historicos unquam reperissem, quo mihi tantum sperare licuisset, ut in Europâ, alibi quam Lutetiae Parisiorum, Bibliothecam libris Sinicis omnigenis instructam intueri daretur.

Vix a praefatis oculatis testibus hoc resciveram, cum subitâ ac duplici spei flammâ, ut ita dicam, in corde penitus exarsi.

Primum enim sperabam mihi patefieri posse celeberrimorum auctorum volumina, quae inspicere et consulere vehementer avebam, et quorum historiam vel commendationem, vel solos titulos apud Fourmontium et Missionarios inveneram, dummodo mihi Petropolim petenti venia haec a vobis, vel a Bibliothecariis benignè daretur, quod non arduum fore amici mei arbitrabantur. Huic autem expectationi meae summam adjunxit vim, atque eam prope in certitudinem vertit admodum Reverendus Dominus SMIRNOW, cui praelaudatus Doctor ROGERS me commendaverat, cum librum Gallicè scriptum mihi commodavit (sub imperatoriis auspiciis CATHARINAE MAGNAE, ni fallor, impressum), ex quo eorundem librorum Sinicorum tituli, ut ut eos litteris Europaeis expresserat Auctor, mihi innotuerunt; unde satis compertum habui, nihil

deesse Athenaeo Imperiali, ita ut in omnibus, quae ad Sinicam litteraturam spectant, Bibliotheca ipsa Gallica Nationalis vix copiosior aut ponderatior habeatur.

Deinde latissimi illi Imperii Russici fines animum subiere, qui varias et diversas Nationes complectendo, Sinas ipsos attingunt, et, quod magis ad rem facit, Mercatura, quae tantum pollet apud Russos, ut peregrinationis quam diuturnissimae incommoda aspernantes, usque ad extremas regiones Sinarum quotannis iter faciant, et ex duabus finitimis urbibus unum statuunt emporium, ubi Mercatores tam Russici quam Sinici simul coeunt, ut quidquid peperit vel industria vel natura locorum invicem permutent, venditent, coeant. Idcirco fit nimirum, quod, annuentibus ac patrocinantibus Imperatoribus earundem gentium, omnes alias immensitate regionum, incolarum frequentia, divitiarum affluentia longe superantium, Russorum et Sinarum mutua sit ratio et procuratio.

Teste autem eodem admodum Rev.^{do} D.^{no} SMIRNOW, alia insuper inest communicatio, quâ eo arctius Russi Sinis junguntur, quo magis divina praestant humanis. Potentissimi enim Russiae Imperatores Christianae fidei acerrimi defensores, admirabili studio divinae gloriae incensi, non minus alacres propagatores sanctissimi nominis JESU CHRISTI extiterunt. Missionarii etiam nunc mittuntur usque ad Sinas, ibique Coenobia condita sunt, ubi aurea praecepta Christianae religionis assidue praedicantur et edocentur, secundum dogmata celeberrimae Graecae Ecclesiae, quae omnium aliarum pu-

rissima meritò habentur, utpote a CHRISTO Domino, discipulisque suis immediatè emanata atque praescripta.

Studium porrò linguae Sinicae Russis, quibus tanta facta sit religionis et mercaturae cum Sinis consuetudo, utilissimum fore, imo necessarium, quis non sentit? Sed ea quae extant opera ad difficultates enodandas, quibus hoc studium praecipuè scatet, quam manca sint, illi pro me dicent, qui litteras Sinicas vel a limite tantum salutaverint. Paucitas vero ipsa studiosorum inter Europaeos, qui tam admirabili ac philosophicae linguae assiduè operam dent, huic causae praecipuè tribuenda est, quod Dictionariorum Grammaticarumque Characteres Sinicos exhibentium, aequè ac librorum opera Sinica, textu adjecto, de verbo ad verbum vernaculâ linguâ interpretantium, summa sit penuria: unde nobis grammaticis praeceptis ab incunabulis imbutis quam maximè a Sinicis litteris abhorrentibus, tanti sint labores capessendi ad superanda impedimenta, quae primâ fronte sese offerunt innumera, ut plerique ab initiis tam arduis deterreantur.

Illud praeterea magis lamentabile occurrit expertis, quod editiones ejusmodi librorum, Sinicos Characteres exhibentium atque interpretantium, nimis sumptuosae eveniunt, ut vix aut ne vix quidem sperandum sit, quod a privatis ullis unquam suscipiantur.

IMPERIALIS ATHENAEI PETROPOLITANI eruditissimus Sodalis SIGEFRIIDUS BAYERUS primae laudis honorem jure sibi vindicat, cujus operâ et sumptu e prelis pariter Petropolitans duo satis spissa volumina sub ANNA Imperatrice exierunt, ubi dictio-

nariolo et grammaticâ Sinicâ perexiguâ opuscula quaedam sat curiosa adstruxit auctor, quae, etiamsi omnia Characteribus Sinicis sint munita, nihilominus non magnae sunt utilitatis, et ob sculptoris incuriam, et ob aerarii Bayerani tenuitatem; de quâ non solum Editor ipse in Praefatione conquestus est, sed etiam amplissima volumina manu suâ conscripta, eodemque Imperiali Athenaeo, asservata, fidem faciunt indubitata.

Deinde Vir Clarissimus STEPHANUS FOURMONTIUS sub regis auspiciis LUDOVICI MAGNI necnon LUDOVICI XV.^{ti} multo majora quidem edidit et accuratiora, ideoque Tyronibus valdè utilia; verum morte, heu! nimis properâ abreptus, plurima atque utilissima quaeque inedita reliquit.

Semper-ne ideo litterae Sinicae apud nos neglectae contemptaeque in posterum ~~jacebant?~~

Mihi ita dolenter percontanti, atque ea, quae dicta sunt, mecum animo seriò volventi, solus ad hoc videbatur munificentiae Ludovici Magni aptissimus instaurator, atque ad omnia summa natus AUGUSTISSIMUS ALEXANDER PRIMUS, qui nunc tam suavi sceptro imperia omnium Russiarum felicissimè regit. Me autem magis confirmationem in hac sententiâ effecit admodum Reverendus Dominus TOOKE, qui mihi librum Germanicâ linguâ exaratum, atque ab eo tunc recenter Anglicè redditum, ostendit, ubi plura leguntur de Athenaeo Petropolitano, deque libris Sinicis ibi asservatis, quo loco sermo erat de quodam Viro eximio, nomine LEONTIEFF, jam vita functo, qui tanquam interpres librorum

Sinicorum honorario sat amplo donatus fuit ab Inclitâ Imperatrice CATHARINÂ SECUNDÂ, cujus magnanimitatis et liberalitatis vestigia tam insignia ubique relictâ sunt, ut illis insistere quam prosperè, et gloriôsè Successoribus suis sit semper cessurum.

Hujusmodi beatis exemplis animum meum pascendo atque explendo, cogitationemque totam in eo cupidissimè figendo, quod ad ejusdem vitae conditionem assequendam duci probabilius posset, nihil magis opportunum ratus fui, quam libellum memorialem ALEXANDRO PRIMO OMNIUM RUSSIA-
RUM IMPERATORI ATQUE AUTOCRATORI suppliciter mittere, EUMque enixè obsecrare, ut me in demortui LEONTIEFF locum subrogare dignaretur, quò sub TANTO AUS-
PICE litterarum Sinicarum studium mihi assiduissimè prosequi liceret. operaque utilissima in lucem edere, quorum tituli et specimina libello memoriali adjuncta legerentur. Supervacaneum omnino esset hic rursus, DOCTISSIMI VIRI, materiem libelli, vel specimina *) illa in medium proferre, cum ex duplici praeclarissi-

*) Placet hic tamen, quidnam specimina illa exhiberent, summatim tantum referre.

1. Pagina manuscripta folii maximi exemplar Dictionarii Sinici duplici columnâ commonstrabat, ubi Characteres Sinici supra centum et viginti comparebant a me exarati, duplicique versione, nempe Gallicâ et Latinâ, donati. 2. Icones diversimodae characterum partim ex meâ delineatione, partim autem ex Sinico Lexico *Chim-cu-tum* excusorum. 3. Specimen Evangelii Sinicè versi ex Codice Musei Britannici Londinensis desumptum, cum indice, ejusdemque Codicis descriptione; ubi plura de brevissimâ parcissimâque methodo ipsum edendi Anglicè disserebantur. 4. Primâ autem illarum chartarum fronte inscriptio eadem Sinica legebatur, quâ capsulam coriaceam exornare placuerat, a me ibi exscripta verbatimque explicata.

moque dignitatis gradu nobilissimi PRAESIDIS vestri illud necessariò consequatur, quod IMPERATOR ei non solum chartarum illarum (quas mense Maii an. 1802. benignâ operâ Illustrissimi Comitis WORONZOW EI mittendas curavi, capsulâ coriaceâ non inconcinnè inauratâ, inscriptioneque Sinicâ exornatâ inclusas, quasque postea rescivi ex AMPLISSIMI PRAESIDIS VESTRI in Nobilissimi Comitis KUTSCHEBEX manus reverâ pervenisse) copiam fecerit, sed etiam secum de Supplicatione meâ sermonem contulerit; ita ut sanctio sua maximi apud AUGUSTISSIMUM IMPERATOREM esse debeat ponderis ad EJUSDEM approbationem vel improbationem obtinendam.

Quamquam vero litterarum Sinicarum causa nimîâ jam nunc vetustate redolere videatur, nihilominus, dum adhuc sub Judice sit, sine me, AMPLISSIME PRAESES, Te submissè obsecrare, ut libello meo aliisque paginis illis adjunctis perofficiosè relectis, si quid in illis utilitatis non contemnendae reperias, Tibi tandem placeat partes meas strenuè ac sollicitè tutari, tum apud IMPERATOREM, tum apud Socios Athenaei Petropolitani, quibus itidem operae pretium esse censeo illa specimina sub oculis ponere, ut ipsi videant, utrum meis lucubrationibus quodammodo favere expediat necnè.

Imprimis porrò hoc unum oro atque exoro, AMPLISSIME DOMINE, DOCTISSIMI VIRI, ut quamprimum causam meam resolvatis, ne aut anni mei inutiles amplius labantur, aut id unum expectando frustra diuque animi pendam, crucier, angar.

Forsitan hîc possem primo intuitu nimiae vanitatis argui, dum ex dictis consectorium videtur, quod si alia CATHARINA, vel alius LUDOVICUS litteris Sinicis faveret, alius LEONTIEFF vel FOURMONTIUS praestò esset. Abest, semperque a me, spero, abfuturum, quod aurâ tam frivola captus sim, ut mearum virium infirmitudinem, ac rudimenta Sinica quae didici, cum illorum virorum ornatissimis, atque in Sinicis versatissimis ingeniis unquam ausim componere. Quinimo libenter ultroque fateor omnia mihi esse cum illis deteriora, praeter immensum illum amorem, quo annis jam abhinc sexdecim haec studia prosecui, atque illis incumbere, mihi nullis peculii illecebris allecto semper jucundissimum evasit.

Sed quod natura vel institutio mihi negaverunt, saeculum profectò concursu quodam eventuum fortuito saltem ex parte supplevit. FOURMONTIUS enim (ut BAYERUM et LEONTIEFF mihi non satis notos praeteream) universarum disciplinarum consultus, nullius propè adminiculis, Marte autem suo, tantum in Sinicis profecit, ut opera ejus scripta atque excusa Parisiis, Missionarios, et Sinas ipsos in admirationem stuporemque rapuerint. Aetate autem suâ tam pauca extabant Missionariorum opera typis Europaeis mandata, ut volumina, quae tunc temporis de Characterum librorumque Sinicorum interpretatione ex professo agerent, ad numerum octo, vel decem aegrè possint recenseri. Quae etiamsi paucissima essent, nonnulla tamen ipsorum ad manus FOURMONTII vel nimis serò, vel nunquam devenere; siquidem praefationibus, operibusque

ribusque suis fidem adjungere par est, quibus Viri doctissimi, summoque loco nati adstipulari non dubitarunt. Opera autem istiusmodi, apud Sinas vel impressa vel manu exarata, FOURMONTIUM omnino latuisse, dum lucubrationibus suis Sinicis operam navabat, ex iisdem testimoniis abundè liquet.

Miracula haec promere mihi nunquam in mentem venit; imo omni ope atque operâ uti enitque mihi jam diù statutum fuit, nè mea incoepta frustrâ fuissent. Huic autem proposito meo saeculum vel casus, uti supra innui, magis quam FOURMONTIO favorunt duobus praecipuè opportunitatibus, quas non commisi, ut intactas relinquerem.

Primum enim fortunatissimum semper ducam, quod mihi obtigit anno jam ab hinc decimo quinto, CHRISTI autem 1792, quo tempore Rex Britannorum Oratores Sinarum Imperatorem misit salutatum. Missionarii Sinici patriam reversuri, a Collegio Parthenopeio consultò tunc accersiti, ut apud Oratores interpretum munere fungerentur, eosque Pekinum usque comitarentur, Londini per menses complures commorati sunt, discessu legationis, nescio quare, diù retardato. Ego vero hanc, quae nec opinata sese offerebat occasio, comatâ fronte, ut ajunt, impiger arripui. Familiaritatem jam jamque cum Missionariis inii, quae quotidianâ consuetudine diuturnam sitim quodammodo explevit, quam libri Fourmontiani vehementissimam fecerant, audiendi, scilicet, sonorum tonorumque Sinicorum suavissimos concentus; praecepta linguae Sinicae ad practicam revocandi; libros merè Sinicos con-

sulendi, quorum nullus adhuc penes me erat; quodque magis avebam, nodos illos solvendi, quibus opera ipsa Fourmontiana scaterere debent tyroni imperito, Lexicis praesertim librisque Sinicis omninò destituto.

Accedit eo insuper, quod lingua Sinica alphabeto carens analysin quam minutissimam linearum characteres componentium requirit, ut illas ad amussim numerare valeamus, utque, eis numeratis, characterum genuinas variasque formas, pronunciationem, significationem, prout opus sit, e Dictionariis eliciamus, in quibus propè omnibus characteres cuncti secundum radices suas, numerumque linearum suarum ordinantur. Analysin autem ejusmodi frustrà conamur assequi, nisi praecepta *Artis scribendi characteres* apprimè teneamus. Ars profectò nobilissima, quaeque inter liberales, uti reverà est apud Sinas, reponatur dignissima; quippè quae non tantum ad analysin internamque structuram, et concinnationem characterum Sinicorum dignoscendam rectissimâ viâ ducit, sed etiam, uti jam memoravimus, numerationem linearum accuratissimè nos edocet; siquidem ex Scripturâ, non ex impressione, characterum eorundem lineas Doctores Sinici sapienter recensuerunt. At de *Scriptione* characterum apud omnes Europaeos, qui de Sinicis quoquomodo disseruerunt, silentium est altissimum. FOURMONTIUS ipse hanc artem omninò videtur neglexisse, cum de ea ne verbum quidem in libris suis inveniat, et ad numerationem linearum rectè instituendam, indices technicos ac criticos (quos ille tamen describit, at non explicat) Dictionariis

merè Sinicis praemissos, illumque praecipuè qui 筆運 *Yum-pie*, seu *motus penicilli* inscribitur, omnino sufficere in paginis suis passim animis inculcare studeat. Quantum autem hoc a veritate absit, ipse sum, miser, memet torquendo, non sine magnâ temporis jacturâ expertus, nihilque aut parum in Sinicis proficere potuissem, nisi a praeclaudatis Missionariis rudimenta Scripturae *) Sinicae didicissem.

Dictionarium Sinicum quoque amplissimum 通字正 *Chim-cu-tum* iidem Missionarii mihi dono dederunt, rectumque usum ejusdem practicè, minutatimque ostenderunt; cum de hoc FOURMONTIUS theoreticè tantum et generatim sermonem fecisset.

Jam ex dictis satis abundèque constat, colloquium cum Sinicis Doctoribus, sicuti FOURMONTIUS cum HOAMGIO habuit, mihi etiam non defuisse; et si propter hebetudinem vel inscientiam mentis meae, aut temporis brevitatem ex eo pariter ac FOURMONTIUS mihi profecisse non licuit, attamen nonnulla valdè utilia ex ipsis Missionariis hausi, quae in voluminibus Fourmontianis vel Bayeranis frustra quaesivissem.

*) De Scripturae Sinicae inventione et vicissitudinibus per saecula amplius quam sex et quadraginta; nempè a FO-HI Sinicae gentis Conditore, scripturaeque primò inventore, qui coepit regnare anno ante Christum natum 2953. usque ad KAM-HI initio saeculi ultimi Sinarum Imperatorem; satis fusè ordinatimque egi in Anglicano illo commentario, qui UNIVERSAL MAGAZINE (*New series*. Vol. I. 1804.) vulgò nuncupatur. Exemplum indè excerptum vobis mittendum curavi per doctissimum Sodallem Vestrum amicumque meum singularem LEONEM DE WAXEL, qui Petropolin reversurus anno 1805. ex Angliâ profectus est.

Venio nunc ad secundam illarum opportunitatum, quibus saeculum studiis meis Sinicis fuisse supra contendi.

Volumina quae nunc vel librorum Sinicorum paraphrasin Europaeam nobis tradant, vel quae naturam et interpretationem characterum satis fusè pertractent (etiamsi historicè potius quam grammaticè hoc faciant) non octo, non decem, ut initio saeculi praeteriti, cum Fourmontius studiis Sinicis se primum addixit, verum supra quinquaginta e proelis Europaeis exierunt, quorum magnam partem nocturnâ diurnâque manu jam diù versavi, et si qua deessent Athenaeo Petropolitano, nullo negotio possent comparari. Ut autem magis magisque evidenter appareât, quanti sint quamque pretiosi illi Sinicae Sapientiae thesauri; placet hic breviter librorum Sinicorum titulos summamque referre, quorum paraphrasis voluminibus praefatis exhibetur. Atqui ante omnia animadvertendum est, quod interpretationes hujuscemodi, vel 1° *Libros Canonicos*, vel 2° *Historiam*, vel 3° *Medicinam* respiciant; sunt autem ipsae vel I° *integrae*, vel II° *excerptae*.

I.^{arum} I.^{ae} Quod ad libros *Classicos*, aut *Canonicos* spectat, habemus paraphrasin celeberrimi operis 經書 *Xu - kim*, quod Rey. P. GAUBIL liberè vertit, notisque illustravit; deindè doctissimus Editor DE GUIGNES multa scitu digna illis adjecit. Est autem *Xu - kim* pretiosissimus inter sacros liber, cujus collectanea historico-moralia, a Philosopho CONFUCIO ex Chronicâ Imperiali (jam olim miserè deperdita) accuratissimè excerpta, tantae sunt auctoritatis apud Sinas, ut nemo eorum in regione tam amplâ

tamque plenâ pópulo, totisque illis vicens trinis saeculis jam elapsis, unquam reperiri potuerit, qui non dicam sectionem, aut phrasin, sed ne verbum quidem in dubium incertumque revocaverit.

Missionarii Pekinenses Librum 春秋 *Chum-çieu* in lucem protulerunt Parisiis: opus pariter historicum praecipuè de Regno 魯 *Lu* agens, ab anno 722. usque ad 480. ante CHRISTI nativitatem, atque in summâ veneratione habitum, utpotè ab eodem Philosopho CONFUCIO conscriptum, siderumque observationibus refertum, quae ad historicam veritatem comprobendam maximè faciunt. Cum autem Sinae, quidquid a CONFUCIO scriptum est, summâ id veneratione dignè suspiciant, liber iste, etiamsi merè historicus, inter 經五 *U - Kim*, seu *Quinque libros canonicos primi ordinis cum praecedenti reponitur*.

COUPLETIUS et FR. NOËLIUS multos annos ante LEONTIEFF et FOURMONTII tempora libros illos *canonicos* secundi ordinis, similiter a CONFUCIO discipulisque suis conscriptos, ediderant, qui 書四 *Su-xu*, seu *Quatuor libri* per antonomasiam vocantur; et quorum versio alia extat in Athenaeo Petropolitano a laudato LEONTIEFF propriâ manu exarata, sicuti in praefato opere Gallicè scripto ipsemet legi.

Vertentibus autem eodem FR. NOËLIO, et de integrò Missionariis Pekinensibus, libri in lucem prodierunt, qui vocantur *Siao-hio* 學小 seu *Parvulorum scientia*, atque 經孝 *Hiao-kim* seu *Obedientiae liber*, parum aptè a FOURMONTIO sub uno eo-

demque titulo relati; (vide Gram. Sin. p. 430.) cum nullam habeant inter se similitudinem, praeterquam quod saepè simul ambo excuduntur et compinguntur: caeterum singuli titulo proprio gaudent, eorumque materies valdè discrepat. Primus enim de *Institutione puerorum* solummodo agit; alter verò de *Obedientia*, non tantum puerorum juvenumque erga parentes aut superiores, verum etiam de mutuis illis officiis inter Principes et Subditos, necnon inter conjunctos, fratres, amicosque praestandis sapienter fusequè disserit.

Habemus insuper Italicè et Gallicè paraphrasin, operà eorundem Missionariorum Pekinensium proelisque itidem Parisiensibus excusam, operis famosissimi, atque unà cum duobus praecedentibus inter *Canonicos tertii ordinis* jurè reponendi, cujus titulus **語聖** *Xim-jui*, seu *Sanctissima monita*, auctore celeberrimo atque doctissimo Imperatore **熙康** *KAM-HI*, qui coepit regnare anno AEr. Vulg. 1662. Eglogarium hoc aureum, quod profectò purissimae morales, solertissimae politicae, optimarumque disciplinarum omnium inexhaustus fons et haberi et vocari meretur, Filius atque imperii successor **正雍** *YUM-CHIM* collegit, digessit, typisque imperialibus edidit, atque ita posteritatem tanto thesauro in aeternum locupletavit. Textum hujus operis, ni fallor, inter libros Sinicos Athenaei Petropolitani enumeravit Auctor Gallicus, de quo initio jam verbum feci.

2.^{ae} Ad Historiam quod attinet, Rev.^{us} P.^r MAILLA Gallicè vertit librum inscriptum, *Universale speculum praecipuarumque re-*

rum elenchus: Sinicè **目綱鑰通** *Tum-kien-kam-mio*. Opus amplissimum historiam generalem Imperii Sinici amplectens, Imperatorum jussu, et Tribunalis ad hoc instituti curâ conscriptum, qui mos gentis jam a quatuor mille quadringentis annorum, et amplius (nempè ab antiquissimo Imperatore **帝黃** *HOAM-TI*) non sine maximo traditionis quasi aeternae pondere in totis Sinis repetitur. Hujus etiam immensi operis (voluminum Sinicè centum et viginti) in eodem Gallico librorum Sinicorum Catalogo Petropolitano modò citato, si benè memini, titulum legi.

Habemus etiam Gallicè versum atque Parisiis editum ab iisdem Missionariis Pekinensibus Chronologicum opus inscriptum **記會子甲** *Kia-çu-hoei-ki*, seu *Cyclorum collectio et commemoratio* (Four. Gram. p. 493.), in quo Imperatores omnes eorumque praecipua gesta memorantur ordine *Kia-çu*, seu *Cyclorum* Sinicorum sexaginta annorum, accuratissimè servato atque signato, ab anno octavo praelaudati Imperatoris *HOAM-TI* ejusdem cycli inventoris; idest, ab anno 2690. ante Christum usque ad initium praeteriti saeculi. Commentarioli insuper subnectuntur de viris eximiis, atque antiquissimis Imperatoribus, qui ante *HOAM-TI* sceptra Sinarum tenuere, vel illis saeculis florere.

3.^{ae} CLEYERUS edidit Francofurti *Specimen medicinae Sinicae*, ubi versio latina legitur antiquissimi et celeberrimi operis inscripti **經內** *Nui-kim*, seu *Liber de interioribus* (supple *morbis*). Hic liber Auctorem eundem *HOAM-TI* vetustissimum Imperatorem agnoscit, atque multa ibi legenda sunt Medicis Europaeis non omninò praetereunda.

Eodem volumine Cleyerano alterius medicinalis libri Latina versio continetur, cujus titulus 難訣脈 *Me-kiue-nan* seu *Pulsus symptomata difficiliora*. Quantum autem Sinae valeant ad praesentiendos dignoscendosque morbos solo pulsus tactu, nimis ubique peryulgatum est, ut me oporteat hujus operis praestantiam verbis extollere. Textus hujus et praecedentis libri in Bibliothecâ Regiâ Berolinensi aequè ac Bodleianâ Oxoniensi, et fortasse etiam Petropolitanâ, asservantur.

Initio autem hujus Cleyerani voluminis versio satis accurata invenitur tractatus duplicis, alter *Pharmaceutices*, alter vero *Physiologiae*, quorum postremus de circulatione sanguinis hypothese insuetissimâ agit, primus verò aromata aliasque materias quibus utendum est ad medicamenta conficienda, necnon earumdem commiscendi rationem definit, secundum morbos, quos auctor singulatim nominat, remediumque unicuique praescribit. Huic ipsi volumini finem imposuit interpres versione Tractatus singularissimi de symptomatibus linguae, ubi multa et curiosissima de linguae papillis, earumdemque affectionibus et coloribus diligentissimè perpenduntur. Horum operum textus ego nondum vidi, sed fortasse Bibliothecâ Petropolitanâ etiam nunc abditi latent.

II:^{dae} RR:^{di} PP:^{res} COUPLETIUS supra laudatus, et VISDELOU multa typis Europaeis mandarunt singularissima, ac reconditissima excerpta ex 經易 *Ye-kim* seu *Libro combinationum* omnium omnino librorum, qui toto orbe terrarum usque in hunc diem extant, facilè antiquissimo, atque sui generis unico, si modo excipias,

excipias, quod Sinae interpretes innumeri per tot saecula multiplicibus ac inter se valdè dissimilibus commentariis illum illustrarunt, ejusdemque editiones et exemplaria ad infinitum propè multiplicarunt. Quod vero proximum unicuique videbitur, si animum attendat ad sanè judicandum, quid septem supra triginta saecula possint jam elapsa, ex quo 義伏 FO-HI gentis Sinarum conditor mysteriosissima haec arcana posteritati scrutanda reliquit.

Loca magna philosophiaeque propria ex Libris *Canonicis primi ordinis*, 經詩 *Xi-kim*, seu *Odorum liber*, atque 記禮 *Li-ki*, seu *Rituum commemoratio*, uberrimè selecta atque Gallicè edita ab iisdem Missionariis Pekinensibus in eorundem voluminibus passim leguntur. Nimis longum essem, si omnia hæc singulatim memorarem, quæ ab illis doctissimis viris edita extant, de 書六 *Lo-xu*, seu de *sex Scripturis* (melius de *sex Scripturae regulis*), a quibus structura lineamentaue omnia Characterum, velut a lege quadam, repetuntur; de 章文 *Ven-cham*, seu *Rhetorica*; de 家百 *Pe-kia*, seu *Biographia*; de 樂 *Yo*, seu *Musica*; deque caeteris bonis artibus aut fidelissimè versa, aut luculentissimè verbis comprehensa.

Nomina tandem virorum de Sinicis litteris tam benè meritum, etiamsi notissima, mihi nullo modo praetereunda videntur, MARTINI, videlicet, et KIRCHERI, quos FOURMONTIUS praecipuè adhibuit interpretes, characterum Sinicorum pronunciationem a Geographia *Martiniana* cum Geographis Sinicis collata diligenter eliciens; eorundemque significationem eruens (saltem radicalium prae-

cipuorumque) a famosissimo illo Christianae Religionis monumento a KIRCHERO edito, illius instar, quod anno reparatae salutis 1625. prope Urbem 安西 Si-gam, nunc Provinciae 西陳 Xensi, at tunc totius imperii Metropolin, non sine magno Christianae Religionis emolumento effossum, in apricumque prolatum fuit.

De genuinâ hujus sanctissimi lapidis antiquitate dubitarunt nonnulli; at sub medium saeculi praeteriti doctissimus P. VISDELOV eam ipsam indubitatam firmissimamque reddidit, novis accuratissimisque ejusdem inscriptionis versione ac paraphrasi, in illarum, quas a Rev.^{do} P. BOYMO acceptas KIRCHERUS ediderat, plurimis mendis scatentium locum suffectis, eruditissimisque grammaticis, criticis, ac historicis adnotationibus munitis; uti videre est in *Supplemento* libri, cui titulus *Bibliothèque Orientale d'Herbelot etc. à la Haye 1779. in 4^{to}*. Viri autem navus, maximâque litterariâ exercitatione limatus, adeo scienter difficultates cunctas exsorsit, obscuritates omnes discussit, ut nihil hoc nunc sit evidentius, Monumentum *Sigamfuanum* positum fuisse anno CHRISTI septingentesimo octuagesimo primo a Sacerdotibus Syris apud Sinas jam tum Evangelium praedicantibus, Imperatore 宗德 TE-çUM et assentiente et favente.

Superesset nunc ut de *Museo Sinico Bayerano*, atque de *Grammaticâ* aliisque operibus *Fourmontianis* sermonem instituerem; at vereor, nè nimis nota loqui videar, siquidem ad propositum meum sufficere arbitror ea, quae de iis jam leviter at tigi, dummodo ingenuè fatear, quod sine hisce doctissimis volu-

minibus non solum nihil in Sinicis profecissem, sed ne ulla quidem cupido linguae Sinicae addiscendae me unquam cepisset. Hoc unum rursus urgeo, in libris Bayeranis magis accuratam characterum sculptionem desiderari, in Fourmontianis autem, multa esse praemittenda, multa etiam adjicienda, si tyronibus viam sternere quam facillimam cupimus. Caeterum non ego illorum voluminum paucis offendar maculis, cum nimis indecorum foret, ne dicam turpe, illos oscitationis reos facere, quorum beneficio mihi tantum datum fuit, ut allucinationes leviusculas in doctissimis eorundem paginis deprehendere valuerim.

Quanti autem, quamque ponderatiores sint *Codices Manuscripti* in Bibliothecis publicis Europaeis repositi, e quibus opportunissima quaeque erui liceret, praeterrittam libenter: duos tamen succinctè memorabo, qui typis mandati ad propagationem Evangelii potissimum facerent, atque versione adjectâ linguae Sinicae studium Missionariis Sinas petituris quam expeditissimum redderent.

Ex duobus unus in Bibliothecâ Regiae Societatis Londinensis asservatur, continetque textum verbali interpretatione adnotationibusque locupletatum libri celeberrimi *Canonici* (cujus titulus 經德道 Tao-te-kim, seu *De regula virtutis liber*), a Philosopho 子老 LAO-çU Confucii coaevo conscripti, in quo multa de DEO TRINO tam clarè disseruntur, ut mysterium Sanctissimae TRINITATIS Sinis jam revelatum fuisse quinque supra saecula ante adventum JESU CHRISTI, quicumque hunc

librum perlegerit, in dubium minimè vocaret. Nihil autem efficacius inveniri ad dogmata Christianae religionis in animo Sinarum defigenda, quam eorundem congruentiae cum libris Sinicis demonstrationem, nemo denegabit, qui mores Populi tam proclivis sui jurare in verba magistri optimè norit. Studium ergo et vulgatio hujus singularissimi textus Missionariis utilissima evaderent ad messis apostolicae quam ingentis peroptatam coacervationem feliciter provehendam.

Praestantiam Codicis alterius nunc levissimè attingam, cum jam ab anno 1801, multa de eo a me scripta sint atque edita in Anglicis illis periodicis commentariis collectaneis, qui *Gentleman's Magazine*, et *Evangelical Magazine* vulgò inscribuntur; quaeque denuo typis mandavit Norimbergae Clarissimus Vir atque amicus meus Dominus C. T. VON MURR *). Iste autem pretiosissimus liber in *Museo Britannico Londinensi* asservatur, cujus titulus 音福蘇耶 JE-SU-fo-in, seu JESU (*Christi*) VOX FELICITATIS (id est *Evangelium*). Vita Redemptoris ex quatuor Evangeliiis verbatim excerpta atque harmonicè contexta **) initium

*) Consulite Opus quod inscribitur „*P. Ign. Koegleri S. J. Notitiae S. S. Bibliorum „Judaeorum in Imperio Sinensi. Editio altera auctior, cum Diatribe de Sinicis S. S. „Bibliorum versionibus. Norimb. 1805.*” 8.º maj.

**) Quam concinnè quamque peritè hoc factum sit, qui cupit scrutari, inspiciat versiculorum omnium, e quibus haec Evangelica HARMONIA consuta est, TABULAM minutissimam, quam vel in opere modò citato *P. Koegleri*, vel in utroque Anglico Commentario supra memorato inveniet.

initium facit voluminis, cui *Acta Apostolorum*, et *Divi Pauli Epistolae* (excipe extremam) ordinatim subnectuntur. Stylo hujus versionis nihil accuratius aut facilius reperitur, ita ut *Janua linguae Sinicae aequè ac Christianae Religionis* aptissimè possit nuncupari. Si quis autem Vestrum, AMPLISSIME DOMINE, DOCTISSIMI VIRI, aliquid de peritiâ editoris deque suâ oeconomicâ hunc autographum Codicem edendi methodo resciscere desideret, consulite commentaria Anglicana supracitata, cum jam satis superque ex omnibus praefatis me probavisse ducam, quod tot tantisque adminiculis suffultus plurima, favente Deo, vel compilare, vel edere expeditissimè possim, quae ad Sinicam linguam addiscendam maximè conducere, dummodo aliquid ingenii et voluntatis perseverantia mihi non denegentur.

Cum autem propter vitae brevitatem omnia quae pollicitus sum minimè a me liceat sperare, placet hîc *Titulos operum* Gallicè tantum transcribere ex Libello meo memoriali praedicto, quorum specimina partim eidem adjunxi, partim etiam in praefatis Anglicis Commentariis exhibui. Vestrum erit, AMPLISSIME DOMINE, DOCTISSIMI VIRI, ex his ea quae Vobis magis utilia vel urgentia videntur seligere, meque compilationi vel editioni eorundem statim praeficere, caeteraque successoribus meis, quos, dum vitam vivo, ad haec studia fingere mihi dulcissimum foret, in posterum relinquere.

OUVRAGES

proposés pour la Presse, afin d'avancer et faciliter l'étude et la connoissance de la langue *Chinoise* en Russie.

- I. Catalogue raisonné, historique et méthodique des Livres Chinois, qui se conservent à la Bibliothèque de l'Académie Impériale des Sciences à St. Pétersbourg.

Si l'on souhaite juger, au moins en partie, de mes talens dans pareils ouvrages, on peut voir le Catalogue général et abrégé d'une autre Bibliothèque Chinoise, que j'insérerai dans les Magazins Anglois appelés Monthly, et Gentleman's pour le Mois de Février 1804. — Voyez aussi le Magazin Encyclopédique An IX. Tom. V. p. 538.

- II. Grammaire Chinoise et Française, ou Chinoise et Latine d'après celle imprimée en Espagnol à Canton l'an 1703.

Je possède un exemplaire de cet Ouvrage très-rare, auquel il faudroit ajouter aussi les Caractères Chinois.

- III. Le Nouveau Testament en Chinois, avec, ou sans la version d'après un Manuscrit du Musée Britannique de Londres.

J'ai donné la Notice de ce Manuscrit dans le Gentleman's Magazine des mois d'Octobre et Novembre 1801: il en parut aussi un abrégé (le même mois de Novembre 1801.) dans un autre Journal intitulé Evangelical Magazine.

- IV. Dictionnaire Chinois, François, et Latin.

Voyez là-dessus la notice que j'insérerai dans le Monthly Magazine pour Avril 1804.

- V. Vocabulaire, et Dialogues Familiers Chinois, François, et Latins.

- VI. Traduction verbale et en Latin des Livres Chinois suivans, avec une paraphrase Française et le texte Chinois à côté. Savoir:

Deux Livres sur la médecine.	Deux Livres sur l'Histoire de l'Empire de Chine.	Six Livres classiques et canoni- ques; ou Mélanges d'Histoire et de Morale.	Ouvrage Evangéli- que.
脈內 訣經 難 經	甲通 子鑑 會綱 記目	聖孝道四春書 語經德書秋經 經	耶 穌 福 音

Forsitan quispiam me interrogabit hinc loci: Si tam magna jam extare ipse fateris, cur majora edere laboras? Respondeo, vel potius, quae supra disserui, hic summam repono. Edenda non majora sunt, sed utiliora tyronibus. Rudimenta aliqua Meditationibus Fourmontianis expeditiora in lucem proferenda, ut Europaeus analysin et Scripturam Characterum Sinicorum edoceatur, utque usus Dictionariorum merè Sinicorum clarius ei commonstretur. Locutionum, phrasium, dialogorum silva Sinicè et Gallicè, vel Sinicè et Latinè nunc primum excudenda ad mutuam Sinarum Europaeorumque consuetudinem aperiendam. Vocabularium Bayeranum, et Grammatica Fourmontiana auctius et emendatius edenda essent Gallicè tantum, vel Gallicè et Latinè. Paraphrasibus Sinicorum operum praefatis verbales versiones substituendae, ubi textus Sinicus ad latus exhibeatur. Perutilissimi Codices autographi in Bibliothecis publicis latitantes per impressionem multiplicandi.

Hoc denique agendum, ut tyro hisce studiis deditus ad penetralia Sinicae sapientiae gradatim manu ducatur, ita ut unius vel duorum annorum spatio in Sinicis tantum possit proficere, quantum nunc vir decennio, libris dumtaxat nunc extantibus munitus, quamvis ingenio eximio praeditus, vix assequi valeret.

Agite igitur, AMPLISSIME DOMINE, DOCTISSIMI VIRI, vires meas prae nimis diuturnâ expectatione, animique abjectione ad haec studia jam infirmiores refove, Libellum meum memorialem IMPERATORI offerendum curate, vel Vosmet ipsi illa vel haec ipsa specimina recognoscite, meque hisce studiis patrocinio Vestro suffulcite, dummodo Russicae potestati, tot tantarumque regionum suarum felicitati sapientissimè semper consulenti, res non penitus contemnenda videatur, quod Sinicorum auctorum interpretatione singulares illae leges, instituta, consuetudines, imo etiam sententiae tam ethicae quam politicae, parum hactenus multis de causis, ut jam ostendi, apud Europaeos notae, luculentissimè demum exponantur; quarum ope per immensissimum Russorum imperium, solum cum Sinis in orbe cognito comparandum, mercationis, divitiarum, agriculturae, utilisque cujuslibet artis, et supra omnia internae pacis, optimèque ordinatae dominationis commoda, summâ cum exterarum gentium admiratione, distribuantur et conserventur.

Dabam Berolini

Kal. Decembr. MDCCCVII.

ANTONIUS MONTUCCI SENENSIS

Juris utriusque Doctor; Humaniorum Litterarum professor;
Apud aulam Londinensem Librarius Sinicus temporarius.

TESTIMONIUM UNICUM

de auctoris hujus Dissertationis in Sinicis peritiâ

SEQUENTI EPISTOLA CONTENTUM

AB

UNICO IDONEO INDICE EUROPÆO

(saltem ex iis qui lucubrationes auctoris Sinicas perlegerant)

EXARATA EIQUE MISSA LONDINI.

ARGUMENTUM.

Scriptorem interrogaverat auctor quid de *Lexici Sinici*, necnon *Sinici Novi Testamenti* publicatione sentiret, eique exemplar miserat Commentariorum suorum in praefatis Anglicis Collectaneis excusorum (vide *Monthly Magazine* for April 1804. — *Gentleman's Magazine* for October and November 1801.) rogans ut liberè diceret, an hujusmodi materiae auctoris vires aequas judicaret nec ne.

Dr. Antonio Montucci — Dorset Place, St. Pancras.

Devonshire Street, May 8th 1804.

Sir,

„I have perused with considerable attention your letter of the 21st of Ap.¹
„containing an outline of a plan for the publication of a Chinese dictionary
„in Great Britain.”

„I could have wished, that your enquiries had been addressed to some person more capable of appreciating the value of your materials as well as of
„satisfying the Public of your competency to prepare them for publication; but
„as you seem to expect, that my opinion may be instrumental in procuring you
„that public encouragement on which the success of an undertaking of such

„magnitudē must ultimately depend, I shall very readily communicate to you
„the ideas I have formed on this subject.”

„It is unnecessary for me to dwell on the importance, as a literary acqui-
„tion, of a dictionary of the language of one of the most ancient, civilized and
„considerable Nations on the surface of the Globe; and the utility of such a work
„is no less obvious in a political and commercial point of view, when the ex-
„tensive intercourse is considered, which now subsists and is still increasing be-
„tween the natives of China and Great Britain.”

„As you have access to the MS. dictionary belonging to Mr Raper, which
„I had occasion to consult some years ago, and always regarded as one of the
„most complete and correct performances of that kind ever transmitted to Eng-
„land, I should imagine, that a careful attention to the general principles of the
„Language and a correct execution of the written character, would enable you
„to superintend the publication of such an original with every prospect of success.”

„*The specimens you have favoured me with of Chinese Characters, writ-
„ten by you and engraved under your direction, appeared to me not only per-
„fectly legible; but to excel in neatness and accuracy any of the former at-
„tempts of that kind, which I had had an opportunity of seeing in Europe.*”

„*As I am aware also of the labour and attention, which you must have
„bestowed in acquiring a knowledge of the principles and theory of that in-
„tricate language, I sincerely wish, that you may be induced to undertake
„the execution of your proposed plan, and I am very sanguine in the opi-
„nion, that the expectations of the Public would not be disappointed.*”

„I easily conceive, that the engraved Characters which would be requi-
„site in the publication of a Chinese Dictionary, might be likewise appropria-
„ted to the purpose of printing a distinct work in the Chinese Language.”

„The MS. at the British Museum might be eligible, as affording a cor-
„rect and well-executed translation into Chinese of a considerable part of the
„Vulgate, and calculated at the same time to assist the labours of a student
„in the Chinese Language, if it were not likewise applicable to the desirable
„object of diffusing Christian knowledge in China.”

„With regard to this MS. I have already given a detailed opinion in let-
„ters written in answer to the enquiries of the Bishop of Durham, the Rev.^d
„Mr Macalay and Mr Owen on the subject.”

I remain,

Sir,

your most obedient humble servant

(signed) Geo. Tho. Staunton.

